

Optimo Viro, Christi servo D. Fridericho
Abbate S. Aegidii Nurembergae, compatri
suo Carissimo.

Gratiam et Pacem a deo patre et Domino vestro Jesu Christo. amen. Cum
forte fortuna oblatum esset vir bonus, qui sese literas meas ad vos bona
fide perlaturum polliceretur, non potui obmittere, quum aliquid ad te
scriberem Carissime compater, etsi nullum suppeditet argumentum,
quid enim possum scribere, longo itinere, in quo nihil boni audivi,
cum nemine adhuc familiaritatem contraxi, fatigatus, ac in
alium pene orbem reiectus, in quo etsi multa placent, praesertim
hominum simplicitas et integritas, nullum tamen adhuc suppe-
ditat scribendi argumentum. Quare fit, ut cogitationibus
meis plane haeream apud vos, sollicitus de meis, sollicitus etiam
de tota ecclesia, sollicitus denique etiam de amicis, inter quos,
ut optime nosti, primarium semper habuisti ac habiturus es locum,
Quare te vehementer rogo, ut meis, si quo modo potes, vel verbo
solatio esse velis, donec, quod brevi spero, eos ad me in felici-
orem locum euocem, Incredibile dictu, quam male loquantur
omnes de Interim, et fabricatoribus ac receptoribus eius,
Veruntamen ecclesiae nihilominus affliguntur, et frustra ac
sine fructu maledicuntur ei, quod nutare non possunt, Morbus
huius seculi atrocior est, quam ut medicinam ferat, nec sectariis
aut visionibus credo aliquid profectum iri, Separatio, sicut
a leprosis, optimum consilium, Si modo fieri posset, futuram